

sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum: Amen.

VERSIONES.

Syrus. n. 11. Stabant circum thronum, & illos seniores, & illa quatuor animalia, & ceciderunt ante thronum eius, super facies suas.

Arabicus. Et vidi omnes Angelos, qui stabant circa thronum, & senes, procidere coram facies throno super facies suas.

Occumen. Et procubuerunt. Pagn. Vatabl. Et prociderunt; & prostraverunt sc.

Syrus. n. 11. Benedictio, & gloria, & acceptio gratiæ, & honor, robur, & fortitudo.

Arabic. Pagn. Et potentia Deo nostro.

EXPOSITIO VI.

100. **T** omnes Angeli stabant in circuitu throni; Hæc omnia jam ferè explicata sunt cap. 5. num. 11. Pro majori doctrina, Angeli, ut est valde probabile, sunt custodes hominum, ut dicam questione sequenti, & ut ait Andreas Cæsariensis. Ecce una ex Angelis, & hominibus Ecclesia constituitur. Vidi noster Joannes Angelos mixtos, cum senioribus & quatuor animalibus, id est, cum Sanctorum hominum beatis animabus in celo, Deum pariter adorantes, divinasque laudes concelebantes. Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas. In argumentum humilitatis, & profundissimæ obedientiæ erga Deum, ut docent Anbertus, Albertus Magnus: quo facto nos docent, quanta reverentia debemus Deum adorare, ejusque laudes decantare, nam prius cadunt in facies suas, deinde divinas laudes intonant versu sequenti.

201. **D**icentes: Amen. Hæc dictio Amen hic non est nomen, quod idem valet, ac veritas, ut aliqui dixerunt; quasi primum elogium, & epithetum, quod Deo tribuunt Angeli, sit ejus veritas; sed Amen hic est adverbium, & idem valet, ac fiat fiat; seu ita sit; scilicet salus Deo nostro, ut turba magna decantat, & ita conjungitur hæc Angelorum doxologia cum doxologia sanctæ illius turbae, & complet harmoniam, & septem Angeli decantant Deo; Benedictio, & claritas, &c. quæ sigillatim explicabo quæst. 24. seq.

QUÆSTIO XXIV.

Quare Angeli hic describuntur stantes in circuitu throni?

201. **M**ibi valdè probabile est, quod sermo est hic de Sanctis Angelis Custodibus illius sanctæ, & innumerabilis turbae; stant ergo ante thronum Dei, ut summopere gratulantes de salute suorum clientum, de ipsaque eorum salute gratias agunt Deo; & inde Canticum innumerabilis turbae, Salus Deo nostro, altera voce, & choro applaudentes, excipiunt dicuntque, Amen, hoc est, ita fiat, fiat; sunt ergo Angeli hic stantes in circuitu throni, ut honorarii stipatores, sive etiam ut exhibentes Deo, suæ sollicitudini, & curæ commissos, jam salvos esse, & deductos ad gloriam; de quo magnum gaudium ostentant Angeli suo Cantico, versu sequenti. Benedictio, & claritas, &c. Richardus Victorinus. Angelos inducit Joannes de salvatione hominum gaudentes, & humana confessionis testimonium confirmantes. Divus Thomas: hic s. Thom. ostenditur Angelorum ad homines benevolentia, in congratulando eorum spiritualibus bonis, quos habituri sunt consortes.

203. **S**ecundò dicitur: Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium. Quomodo hic Angeli apparent stantes, non solum in circuitu throni, sed etiã seniorum, & mysticorum animalium; stare enim ante aliquem, vel in alicujus circuitu, quodammodo respectu illius aliquã dicere videtur inferioritatem: An Angelus hominibus inferior? nequaquam dixerim; sed in hoc, quod dicitur, Angelos stantes in circuitu seniorum, magna ostenditur nobilitas, ac eminentia humanæ naturæ. Aretas: Stare Angelus cum hominibus quid aliud ostendit, quam humana natura excellentiam in honore; Quæ magna excellentia maximè visitur in humana natura, post incarnatum Verbum.

204. **T**ertio, Albertus Magnus. Dicuntur esse in circuitu ejus, ait, quia delectantur in contemplatione illius, ab ipso accipientes initium delectationis sanctorum à sua, & in ipsum terminantes, Dicuntur, esse in circuitu throni ipsius; scilicet humanitatis Christi, ut inde testatum fiat, quod ipsi maximè delectantur in contemplatione ipsius, & inde dicuntur esse in circuitu, quia eorum delectatio tota est in circuitu Christi Domini, nam ab eo incipit, & in eo finitur, ac terminatur.

205. **Q**uartò, dicitur, quod ceciderunt Angeli in conspectu throni in facies suas: Beati in turba magna, ex omnibus populis, & linguis, solum stabant Deum laudantes: At modo Angeli, non solum stant in circuitu throni, sed etiam cadunt in facies suas, Deum adorantes: cur etiam electi ex hominibus non procident in facies suas, ut divinam majestatem adorarent, sicut & Angeli faciunt? Respondet Haymo: Solummodo casum Angelorum commemorat, neque enim convenit, ut Angelis adorantibus, homines rigida cervice starent. Cùm exprimitur, quod Angeli cultum laudat exhibentes Deo, caderent in facies suas, etiam id intelligitur ab electis hominibus factum; & ita supponitur, ac si non esset necessarium, illud expressè dicere.

Quintò,

206. **Q**uintò, ecce Angeli, ut valdè solliciti de hominum salute, stantes dicuntur, & ut valdè benevoli, pro nostro beneficio agentes, cadunt in facies suas, & ut maximè gaudentes de nostra salute, festivè canunt Dei hymnum, vers. sequenti, Benedictio, claritas, &c. Deo nostro. Hæc est enim sanctorum conditio, maximè de aliorum salute, ac bono gaudere, D. Ephren. de Timore Dei monet: Promotioni fratrum, ne invidias; ait enim Scriptura. 4. Joan. 1. n. 4. Majus gaudium non habeo, quam ut audiam, filios meos in veritate ambulare.

207. **A**it Apostolus Paulus ad Philippens. 4. n. 1. Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea; Quia de causa magnus doctor gentium, suos discipulos dicit gaudium suum, coronam suam, nisi quod ipsi gauderent in Domino, & ab ipso coronarentur; suum deputabat gaudium, ac coronam? Divus Ambrosius: Manifestum est, ait; quia perfectio discipulorum, gaudium, & corona magistri est; hi enim sunt, qui labores fructuum suorum eduntur; fructus enim magistri, discipulus est obediens; cujus dum bona conversatio proficit, magistro fructus sui edit labore, labor enim discipuli in opere bono coronam dat magistro, judice Christo.

208. **A**dolecentulæ. Gratulantes, dicunt animæ sanctæ: Exultabimus, & letabimur in te, memores uberrum tuorum. Rectè d. ligunt se. Cantic. 1. num. 3. non solum de sua, sed de omnium aliorum lætitia est, non solum quia illa habet ubera plena cœlestis gratiæ, sed etiam quia alii pleni sunt ejus dilectione; quæ erant aliorum propria utilitas, ac si esset proprium ejus commodum. Philippus Abbas, lib. 1. in Cant. cap. 15. Tantus ejus amor amulam, vel pellicem non veretur; nec damnum suum putat, si ad amandum illum altera provocetur. Merito ergo perfecta Dei sponsa non damnum, sed lucrum suum æstimat, quod boni in aliis erga Deum in-tuetur.

QUÆSTIO XXV.

Quare Canticum hominum incipit à salute, Canticum verò Angelorum à benedictione? in quo septem proponuntur Dei attributa.

209. **E**lecti homines in illa turba magna, ex omnibus gentibus, populis, & linguis, clamabant voce magna: Salus Deo nostro. At subsequens Canticum Angelorum, à benedictione, ac claritate habet suum initium: Dicentes Benedictio, & claritas, & sapientia, &c. Cur ergo Canticum populorum, & gentium incipit à verbo salus, seu, salutatio: Angelorum autem à verbis, benedictio, claritas, &c. Cùm ex Angelis, & hominibus una tantum sit Ecclesia in celo, ut supra diximus, unde illis in eorum Canticis tanta est diversitas? Respondeo, quod per gentes, & populos intelliguntur omnes homines ab Adam generati. Sylvæira in Apocalypsim. Tom. I.

210. **T**ione communi descendentes: merito ergo suum inchoant hymnum à verbo salus, seu salutatio, ut legit Vatablus: ipsi enim competit salus, id est, reparatio à casu peccati originalis, in quo omnes (Beata Virgine Maria excepta) prolapsi sunt; Salus enim, seu salvatio, præsupponere videtur aliquam ruinam, & casum; qui omnibus Protopatentis filii communis est; rectè ergo Canticum hominum incipit à salute, quæ per Dei misericordiam in ipsis facta est per redemptionem Christi Jesu; Canticum autem Angelorum bene habet exordium à benedictione; siquidem in benedictione cœlestis gratiæ creati sunt à Deo, & in ea perseverarunt, sine ulla macula peccati contracta, proindeque unusquisque intonat suum hymnum, per id, quod sibi familiare, ac proprium est; homines à salute, quam per Dei misericordiam sunt assecuti; Angeli à benedictione, qua Dei gratia donati sunt.

211. **S**ecundò, & aliter poterit rem explicare. Canticum Gentium suum habet exordium ab illis verbis: Salus Deo nostro. Cui annuentes Angeli, dixerunt: Amen, approbantes, merito Deum laudari ex salute homini data; si multique congaudent suis concivibus, ob hereditatem salutis, quam adepti sunt; & dicto Amen, Deo laudes dicant, et gratias referentes, his verbis Benedictio, claritas, & sapientia, &c. Sed cur suum hymnum non concipiunt, nisi postquam dixerunt, Amen? tanquam hominum salutem approbantes, de illaque congaudentes, ut inde insinuaretur, non posse nos Deo dignam exprimere laudem, & orationem, nisi proximi salutem consentiamus, id est fratrem, & proximum in visceribus Christi diligamus. Radulph, Flavii in cap. 27. Levitic. sic ait: Actionibus interioribus omnium jure Altioris pretium datur, & quicquid sine charitate fit, pro nihilo reputatur.

212. **T**ertio, possumus dicere, quod turba electorum, ac Angelis, tanquam per choros alternativè canunt Deo; Turba electorum ait, Salus Deo nostro, quia ipse est fons, & origo totius vitæ, ac salutis, tam naturalis, quam spiritalis. Angeli alternativè respondent; septem Dei attributa prædicantes. Primò Benedictio, quæ Deo convenit; quia ipse omnia bona largitur. Secundò claritas, seu ut legit Syrus, & alii, gloria, quia ipse est pater luminum, & omnis claritatis, ac excellentiæ fons: Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum. Jacobi cap. 1. numero 27. Ab eo enim habemus benedictionem, & claritatem. Tertio, & sapientia. Sapientissimè omnia operatur, nihil veluti imperu agit, sed ex suprema, & alta ratione. Quarto, & gratiarum actio, quæ ex omni titulo ei debetur, pro tot donorum infusione; & hoc non solum corde, & affectu, sed etiam verbo & facto. Quintò, & honor cum omni cultu, ac reverentia, & honoris signis. Sextò, & virtus omni virtute, & excellentia eminet, ob quam illi honor debetur. Septimò, & fortitudo; seu robur, seu omnipotentia, qua omnia valet, & præstat, & salutem suorum electorum per multa discrimina operatur; & ita tam homines, quam Angeli decantant

Qq Deo

Deo, quæ omnibus sunt communia, ad omnesque spectant.

213. Albert. Mag.

Albertus Magnus, hoc Canticum Angelorum peculiariter pro ipsismet Angelis decantatum explicat; & in his omnibus Deum cognoscunt Auctorem. Sic ait ille: Hac tangitur de laude Angelorum; benedictio, id est, nostra exaltatio, quam super omnem creaturam habemus. Claritas, id est, impassibilitas, vel intelligentia perspicacitas, qua clarè Deum videmus; & sapientia, quam dedit nobis, ut malis resistere sciremus: vel sapientia; qua incognitis delectamur. Gratiarum actio, pro bonis acceptis: & honor, quia Angelis aliis cadentibus, pro acceptis servare Dei: Virtus, id est potentia in resistendo, & fortitudo, id est, gratia confirmatio Deo nostro attribuitur, non nobis.

214. Cur Angeli septem laudes Deo decantant.

Septem laudes Angeli Deo decantant, propter septem affectus divinæ providentia supra relatos; alii volunt, quia septem sunt Principes Angelorum, quos cap. 1. numero 4. noster Joannes commemoravit, in quos, ut in septem præcutores, omnis hæc distribuitur harmonia, unoquoque canente Deo suam laudem cum suo choro, ut sit in choris musicorum; & dicunt Deo septem moxos, sive cantuunculas: & quamvis hæc probabiliter dicantur, tamen ut verius dicimus, quod his septem attributis Deum laudant, quia in septenario numero omnis perfectio includitur; in eo quædam infinitas denotatur. Ecce cur septem attributis eum glorificant, quia sciunt, nequaquam eum laudari posse, cum sit infinitè laudabilis; unde de eo Regius Vates testatur: & magnitudinis ejus non est finis. Psalm. 144. num. 2. ad quæ verba sic ait Divus Augustinus: Ideo dixit: magnitudinis ejus non est finis: ne forte incipias, velle laudare, & putes, te laudando finire posse, cujus magnitudo finem habere non potest: noli ergo putare, te eum, cujus magnitudinis finis non est, sufficienter laudare posse.

Non est finis in laudatione Dei.

Psalm. 144. D. August.

Postquam David Psalm. 61. canit. Benedictum nomen majestatis ejus, & replebitur terra estare ejus omnis terra. Subdit num. 20. D. fecerunt laudes David: seu ut ex Hebræo legitur hymni David, seu ut alii transferunt, voces David. Sed quomodo laudes, & voces, quibus David Deo decantabat, deficient, cum ipse maximè fuerit illustratus lumine supernaturali divinorum mysteriorum, de quibus omnibus maximè ipse agit in suis Psalmis? quomodo ergo deficient ejus voces, & laudes? Quomodo quis magis cognoscit de divinis mysteriis, tantò magis facit, ejus voces, & laudes in eis deficere; quia licet multa de Deo celebret; tamen multa superesse cognoscit, quæ mens ejus non capit, nec penetrat; in altitudine mirabilium Dei mens caligat, & quamvis multa videat, multo plura videnda restant. D. Pasch. lib. 6. in Matt. Ut magnitudinis ejus non est finis, nec laudis ejus finis est.

215. Psalm. 71.

Ad Dei laudes deficient voces creaturæ.

Tamen sancti Angeli perpetuò quantum Deum laudant? Divus Basilus in Psalm. 28. Angelorum opus, ait, laudare Deum, omnibusque celestibus exercitiis hæc cura gloriam transcribere creatori. In d. Divus Augustinus arbitrat, Angelos præceptum accepisse, ut Deum continenter laudarent; de quo David Psalm. 148. num. 2. cum dixisset: laudent enim

D. Paschaf.

216. D. Basil.

omnes Angeli ejus. Subdit: præceptum posuit, Angeli hæc non præteribit. Sic ait Sanctus Pater; Quale præceptum dedit Angelis Deus? Quale nisi, ut laudent eum. Beati, quorum hoc est negotium laudare Deum.

Apoc. 7. n. 13. Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi: hi, qui amici sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt?

Num. 14.

Et dixi illi: Domine mi, tu scis? & dixit mihi; hi sunt qui venerunt, de magna tribulatione, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni.

VERSIONES.

Syrus n. 13. Hi qui circumamicti sunt vestibus his albis, quoniam sint?

Arabicus. Tunc respondens unus de senioribus, hi, qui sunt amici vestitu albo?

Mar. Loquutus est unus Syrus n. 14. Domine mi tu nosti; illi sunt qui veniunt.

Vatabl. Qui venerunt ex afflictione magna, & dilataverunt stolas.

Tertullian. in Hi sunt, qui venerunt ex illa pressura magna, & laverunt vestimenta sua, & candidaverunt in sanguine agni.

Tygrina. Dealbaverunt per sanguinem agni.

Arabicus. O Domine mi, tu Doctor es: & dixit mihi: hi sunt, qui venerunt è meroribus, & ærumnis magnis.

EXPOSITIO VII.

Respondit. Hebraismus est, & idem valet, & dixit mihi. Unus de senioribus, & quis iste sit, nullum est fundamentum, ut determinatè asseramus aliquem, de quo quæst. sequenti. Qui sunt isti? & unde venerunt è dignitate, seu qualitate, & de loco? Interrogat autem senior Joannem, ut eum reddat attentior, ad audiendum rem, & scilicet magnam, & valde necessariam.

Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna. Quamvis enim tentatio, ac militia; sit vita hominis super terram, & omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientes; Tamen

Tamen cum dicit tribulationem magnam intelligit illam maximam, quæ erit in fine mundi sub Antichristo ut explicat Ribeira, Cornelius, Menochius, Tiranus; de hac enim ait Christus Dominus Marth. 24. n. 21. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet. Et inde subdit Text. Laverunt stolas suas, & dealbaverunt in sanguine agni; id est, vestimenta, corpora, ac conscientias suas, puras, & sanctas reddiderunt, per sanguinem, & merita Christi; nam omnem nitorem, ac candorem gratiæ, quam habent, non aliunde habent, nisi merito Passionis Christi.

Ribeira, Cornel. Menoch. Tiranus. Matth. 24.

QUESTIO XXVI.

Quare, cum supra quatuor animalia provocaverint Joannem, ad videnda sigilla, nunc vero unus ex senioribus eum excitat ad cognoscendos electos in turba illa magna?

219.

At Text. Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi. Ioannes nihil locutus fuerat, quid est, quod dicitur, quod ei respondit unus ex senioribus? Respondere alicui, supponit interrogationem; Hebraismus est; & idem valet, ac locutus est; Ita communiter Recentiores; aliter respondit Divus Thomas; Ioannes, vasa multitudinis innumerabili, & decenter ornata, desiderabit scire, quid hoc esse; unde senior respondit, id est, desideris satisfecit. Dicitur ergo, quod senex respondit ei, non verbis ejus, sed desideris, quibus affectabat, scire illam magnam turbam.

D. Thom.

220. Alcazar. Lyran. S. Lucas. S. Petrus.

221. Difficultas quæstionis.

Dubitatur tamen, quisnam fuerit iste senex? Alcazar contendit, esse S. Lucam, qui scripsit Acta Apostolorum, in quibus habentur signati Christi gratia, sive gentiles ad fidem conversi. Lyranus vult esse sanctum Petrum, sed hæc sine fundamento dicuntur; & præcipue cum hæc visio sit typica, & imaginaria, ut sæpè dixi, non est necesse ut una, & determinata persona & in celo respondeat.

Quæstio præsens est, quod cum juxta Dei thronum adessent quatuor animalia, & viginti quatuor thronos, habentes in capitibus coronas aureas; nunc vero unus de senioribus provocat Joannem ad cognoscendos, & videndos electos in illa turba magna, cum in apertione sigillorum, ut vidimus superiori cap. 6. Joannem excitaverunt animalia ad videnda, & cognoscenda contenta in sigillis? Ibidem numero 3. Et cum aperisset unum de septem sigillis, audivi unum de quatuor animalibus, dicens: Veni, & vide. Et iterum ibidem num. 3. Et cum aperisset sigillum secundum, audivi secundum animal dicens: Veni, & vide? Et sic de tertio, & quarto animalibus; cur ergo animalia vocant Joannem ad videnda sigilla; senex vero ipsam vocat ad videndam, & cognoscendam turbam magnam?

222. Hugo.

Respondet primò Cardinalis Hugo ad quæstionem in Apocalypsim. Tom. I.

stionem, post ipsam excitatam, & ait, per animalia intelligi sanctos, secundum statum presentem hujus vitæ, qui adhuc in pascuis scripturarum versantur, & indigent alimonis, quod animalibus aptè congruit; per seniores vero, sanctos secundum statum futurum gloriæ, ubi omnino erit vita immaculata Sapient. 4. n. 9. Etas senectutis, vita immaculata. Ecce cur unus de senioribus assumitur ad loquendum Joanni de futura æternitate, & gloria. Quia ira est ipsa supereminens, ut ad eam annuntiandam, beatus, qui est eam expertus, assumatur; & subdit citatus Cardinalis Hugo: Ubi sermo est, de statu Ecclesiæ futuræ, loquitur unus de senioribus. De beatitudine cælesti, solus unus concivis ejus cælestis potest agere ac tractere.

S. p. 4.

Solus beatus potest, annuntiare beatitudinem.

Hugo.

Secundò respondeo. Unus de senioribus hic est potius, quàm unus de quatuor animalibus, vel Angelis; quia seniorum proprium est, docere; & ita juxta Arabicum Joannes respondit ei, & dixit: Domine mi, tu Doctor es; quod officium diligenter præstare debent seniores, circa illos, qui ignorant; ut sic admonentur ac erent.

223. Senex apertus ad docendum.

Tertiò in cælesti curia, non omnia uni committuntur, sed per multos & varios munera dividuntur; Animalibus datur, ut excitent Joannem ad videnda contenta in sigillis; senibus conceditur, ut ipsum Joannem provocent ad videndam turbam candidatam stolis dealbatis in sanguine Agni. Quartò, animalia quatuor Evangelistæ, qui aperiant sigilla, in quibus multa continebantur de Christo, ejusque Ecclesiæ, & ejus crudeli adversario Antichristo, quæ ipsi scripserant in suo Evangelio; & inde merito ipsi eliguntur, ut Joannem ad illa videnda, & agnosceuda convocent, senes vero deputantur, ut turbam magnam dealbatam sanguine agni ostendant; nam ipsi efficacia sanguinis Agni regnum acceperunt, ut decantant supra Apoc. 5. num. 9. Redemisti nos in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Beneficium tanti sanguinis venerantes, illius virtutem publicant, ac declarant, pretio nempe ipsius sanguinis, innumerabilem illam turbam regnum obtinuisse. Dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni. Grati animi est amplitudinem ac excellentiam sui benefactoris dicere, & publicare.

224.

Apoc. 5.

Grati animi est, excellentiam sui benefactoris dicere, & publicare.

Et cur senex primus interrogat Joannem? Ut inde habeamus documentum, quod alios provocare debemus, ad percipienda, & intelligenda ea quæ sunt salutis. Cælius Pannonius: Hic senior, ait, qui ut charitate affluens erat, & moribus placidus, Joannem vero compellens, vocat ad discendum, alioquin discendi cupidissimum, & qui libenter scire vellet etiam rationes eorum, quæ videbat.

225. Charitas provocat alios ad ea, quæ sunt salutis. Pannon.

Interrogat etiam senex Joannem, ut eum attentior faciat; & cur eum tam attentum desiderat; quia nihil nobis ita attendendum, nihilque ita diligenter perpendendum, quàm via, per quam nobis tendendum, ac eundem sit in cælum. Richard. Victorin. Vasa turba in tanta gloria dignitatis, monentur attendere, per quam viam potuit ascendere, per eam ut idem alios doceat suspicere, ut ad eandem gloriam contendant pervenire.

226. Via salutis maxime attendenda & querenda.

Richard.